AE ⊐ AB, ideoque BD : DC ⊐ AB : AC.

COR. III. Si ponatur triangulum BAC rectangulum, & ex angulo recto A demittatur perpendicularis AD in baſim BC, quæ angulo recto imminet & *hypotenuſa* dicitur, hæc dividet triangulum in duo alia triangula BAD, DAC inter ſe, & triangulo BAC ſimilia. Et quidem triangula BAD, DAC, præter angulum rectum, habent quoque cum triangulo BAC angulum communem, ac proinde ſimilia ſunt inter ſe & toti triangulo. Hinc BD : DA ⊐ DA : DC, & BD : BA ⊐ BA : BC, ac tandem DC : CA ⊐ CA : CB.

COR. IV. Cum ſit BD : BA ⊐ BA : BC, erit BA^2 ⊐ BD × BC (ob productum mediorum æquale producto extremorum). Similiter cum ſit DC : AC ⊐ AC : CB, erit AC^2 ⊐ DC × CB. Ergo BA^2 + AC^2 ⊐ BD × BC + DC × CB ⊐ BD + DC × BC ⊐ BC × BC ⊐ BC^2. Quare quadratum hypotenuſæ in triangulo rectangulo æquale eſt quadratis laterum.

COR. V. Diagonalis quadrati eſt lateri *incommenſurabilis*. Cum enim diagonalis ſit hypotenuſa trianguli rectanguli, cujus latera ſunt æqualia, quadratum diagonalis æquale eſt duplo quadrato lateris. Sed numeris exprimi non poteſt radix quadrati dupli (ex demonſtratis in Arithmetica). Ergo ſi latus quadrati numeris exprimatur, exprimi non poterit diagonalis, & contra.

COR. VI. Perpendicularis EO (Fig. 16.) ex circumferentiæ circuli puncto quolibet